



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Signis Prædestinationis, Et Reprobationis, Et De Numero Prædestinatorum, Ac Reprobatorum

Recupito, Giulio Cesare

Lvgdvni, 1681

Cap. XVI. Nonum prædestinationis signum, Passionis Christi grata
memoria: Reprobationis, oblivio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44272

gurium diaboli. *Quae incedebas ut columba, nunc lucas in tenebris sicut stellio; quae fulgebas ut aurum propter virginitatis honorem, nunc vilior facta es luto platearum; quae fueras stella radians in manu Domini, veluti de alto ruens conuersa es in carbonem.*

Addit Chrysostomus homilia 29. in Matth. luxuriosos inuadi solere à dæmonibus, imò nihil differre à dæmonibus. *Scire, inquit, licet multos homines, qui porcorum more viuunt, facile à dæmonibus inuadi solere: qui quousque aliquid hominis sapiunt, forsitan effugere poterint: si verò porci omnino fient, non solum à dæmonibus exagitabuntur, sed etiam per præcipitia deferentur.* Et infra: *quia luxuria correptus, atque petulans, qui ad omnem corporis formam hincit, differt à dæmoniacis; Possessi autem spiritualiter à dæmonibus Deo sunt execrandi; ac pignus iam habent æternæ damnationis.*

Chrysostom.
Luxuriosus à dæmoniacò non differt.

Denique Virgines prædestinationis habent signum, quia dum dicuntur Apoc. 14. *sequi Agnum quocumque ierit, iam deputantur inter oues quæ statuendæ sunt à dextris.* Luxuriosi verò reprobationis habent signum, quia iam computantur inter hædos, quos statuet à sinistris, Matth. 25. *Quippe, ut notat Cornelius in hunc locum, reprobos hædis comparat, quod animal immundum est, petulans ac lasciuum.* Christus igitur reprobos potissimum hædos vocat, ut ostendat eorum ferè reprobatorum numerum completi ex lasciuis, ac proinde specialissimum reprobationis signum subesse in lasciuia.

Apoc. 14.

Cornelius.

CAPVT XVI.

Nonum prædestinationis signum, Passionis Christi grata memoria: Reprobationis, obliuio.

Dico decimosextò. Maximum est prædestinationis signum grata memoria Passionis Christi: reprobationis, obliuio. CCV.

Probatur primò è Scripturis. Primus locus est Psalm. 21. *Reminiscetur, & convertentur ad Dominum omnes fines terra.* Loquitur manifestè hic Psalmus ad litteram de Christi Passione: citatur enim Matth. 27 ille versiculus, *diuiserunt sibi vestimenta mea, &c.* In hoc ergo Psalmo, quem à Christo recitatum in cruce tradunt aliqui, recenset Propheta sub persona Christi, furorem Judæorum comparatione vitulorum, *circumdederunt me vituli multi: Taurorum, tauri pingues obsederunt me: Leonum, aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens: Canum, circumdederunt me canes multi.* Denique apertè appellat consilium malignantium, *& consilium malignantium obsedit me.* Commemorat insuper contumelias, *aperue-*

Psalm. 21.

runt super me os suum: effusionem sanguinis tam copiosi, ac si esset aquæ effusio; sicut aqua effusus sum: dolorem tum flagellorum, tum spinarum penetrantium vsque ad ossa, & dispersa sunt ossa mea: crucifixionem, foderunt manus meas & pedes meos: nuditatem in conspectu totius populi, dinumeraverunt omnia ossa mea: sitim extremam, aruit tanquam testâ virtus mea, & lingua mea adhaesit faucibus meis: partitionem vestimentorum, dividerunt sibi vestimenta mea. Postquam totam hanc Christus suorum cruciatuum, vt ita dicam, Iliadem enumerasset, subdit infra, quasi suos consolatus dolores, conversionem mundi futuram, tanquam lux Passionis fructum: Reminiscuntur, & convertentur ad Dominum universi fines terra. In quem locum Hugo Cardinalis, hic, inquit, ostenditur fructus passionis Christi, conversio gentium. Hanc autem dicit Propheta futuram præcipuè per memoriam Passionis, reminiscuntur, & convertentur: quia, vt egregiè notant Origenes in comm. ad Rom. 6. certum est quod ubi mors Christi animo circumfertur, non potest regnare peccatum: est enim tanta vis crucis Christi, vt si ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit invidia. Sed continuo ad ejus (crucis) præsentiam totus ille peccati & carnis fugatur exercitus. Ideo jure dicitur reminiscuntur, & convertentur. Est ergo talis memoria, prædestinationis signum; quia eiusdem est medium: & ideo concluditur in fine Psalmi, annuntiabitur Domino generatio ventura; populo qui nascetur, quem fecit Dominus: Quia nimirum populus hic electorum conflatur ex iis qui Passionis Dominicæ reminiscuntur & convertuntur.

Hug. Card.

Origen.
Assidua passionis Christi memoria peccatum ab anima arcer.

Cant. 1.

Bernard.

Secundus locus est Cant. 1. Fasciculus myrrha dilectus meus mihi: inter vbera mea commorabitur. Quem locum de memoria Passionis Christi exponunt Origenes l. quatuor Hom. in cant. hom. 2. Nyssen. hom. 3. Theodoretus, & Philo Carpat. in cant. Bernardus serm. 43. vbi, tu quoque, inquit, si sapis, imitaberis sponsa prudentiam: atque hunc myrræ tam charum fasciculum de principatu tui pectoris nec ad horam patieris avelli: amara illa omnia, qua pro te pertulit semper in memoria retinens, & assidua meditatione revolvens: quò possis dicere & tu, fasciculus myrrha, &c. Et infra: Hæc meditari dixi sapientiam: in his iustitia mihi professionem constituit: in his plenitudinem scientia: in his divitias salutis: in his copias meritorum. Ex his mihi interdum potus salutaris amaritudinis. Hæc me erigunt in adversis, in prosperis reprimunt: & inter lata, tristiaque vite presentis, via regia incedenti, tutum præbent iter: hinc inde mala imminencia propulsando. Hæc mihi conciliant mundi iudicem. Nihil aptius dici poterat ad probandum in memoria Passionis Christi constitui speciale prædestinationis signum, quam in ea constitui divitias salutis: eam tutum præbere iter: per eam conciliari mundi iudicem. Ideo postquam dicit sponsa, fasci-

culus myrræ, &c. subdit, *Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Nempe ex Hebræo, ut advertit Cornelius, *botrus pulchritudinis in fonte felicitatis*: illi enim animæ, cui Christus per memoriam affectuosam Passionis est *fasciculus myrræ inter vbera*, erit *botrus pulchritudinis in fonte felicitatis*: ac proinde habetur in hac memoria signum prædestinationis ad gloriam.

Tertius locus est Cantic. 2. *Columba mea in foraminibus petra, in caverna macerie, ostende mihi faciem tuam*, &c. Columba in foraminibus petrae est anima per meditationem in Christi vulneribus. Ideo Gregorius in hunc locum, *per foramina*, inquit, *petrae vulnera manuum & pedum Christi in cruce pendentis libenter intellexerimus: cavernam verò macerie vulnus lateris. Et bene columba in foraminibus petra, & in caverna macerie esse dicitur; quia in crucis meditatione patientiam Christi imitatur, dum ipsa vulnera propter exemplum ad memoriam reducit: quasi columba in foraminibus, sic simplex anima in vulneribus nutrimentum, quo convalescat, invenit.* Idem tradit Cassiodorus, Beda, Anselmus, Apollonius, & Bernardus in Cant. Ex hoc autem loco colligitur in meditatione Christi vulnerum signum prædestinationis tripliciter.

Primò, quia anima, quæ per affectum habitat in his foraminibus, dicitur *columba*. Columba autem symbolum est animæ electæ. Ideo dicitur Cant. 6. *vna est columba mea, perfecta mea, electa genitrici sue.* quæ explicat sanctus Ambrosius, libro de Isaac & anima cap. 8. de qualibet *anima Benedicta*. Et Laurentius Justinianus libro de sacr. connub. vbi hæc columba dicitur esse *anima à Deo singulari charitate dilecta*: quales sunt omnes animæ prædestinatione. Ideo Chrysostomus hom. 4. de patientia Iob, eum, tanquam electum inter tot reprobos, appellat *columbam in medio accipitrum, ovem in medio luporum, stellam in medio nubium, lilium in medio spinarum.* Verari igitur in his foraminibus non competit nisi columbæ, idest animæ electæ.

Secundò notatur signum electionis, dum dicitur *columba in foraminibus petra*: quia, ut ait Bernardus sermone 61. in Cant. *in his foraminibus se columba tutatur, & circumvolantem intrepida intuetur accipitrem: & ideo ait, columba mea in foraminibus petra. Quid non boni in petra? in petra securitas: in petra exaltatus: in petra sto firmiter.* Quod fit clarius in versione Vatabli, *columba in recessu scalarum, vel in abscondito graduum.* Quippe per Christi vulnera tanquam per scalas ad cognitionem Divinitatis ascenditur, ut apparet in Apostolo Thoma, qui, iis visis, exclamavit *Dominus meus & Deus meus*, Ioan. 20. Quamobrem Bernardus sermone 61. in Cant. *bona*, inquit, *foramina, quæ fidem astruunt resurrectionis, & Christi divinitatem.* Vnde habemus per Christi vulnera tanquam per scalas vique ad ipsam Dei visionem ascendere. Dicit autem *in recessu*, siue in

Cantic. 2.

Gregorius.

Foramina petrae sunt manuum, & pedum Christi vulnera: caverna macerie, lateris vulnus.

Triplex prædestinationis signum in memoria passionis Christi.

Chrysof.

CCVI. Bernard.

Vatabli. Per Christi vulnera ad cognitionem divinitatis ascenditur. Ioan. 20. Bernard.

abscondito scalarum : quasi sint quædam cochlea, sive scala occulta, per quam ad fastigium in turribus solet ascendi compendiosius, & tutius. Quo significatur animam sub hoc tegumento Christi vulnerum tutam ac tectam ab hostium incurfibus progredi ad culmen æternæ gloriæ. Quod avertens Ambrosius libro de Isaac & anima cap. 4. dixit, inquit, *sponsus ad sponsam, surge secreta in tegumento petra, idest tuta presidio passionis meæ. Hac piorum animis est præmunitio: ideo & huic animæ ait, Veni columba mea in tegumento petra. Idem notans Bernardus sermone citato, tuta, inquit, firmaque non est requies, nisi in vulneribus Salvatoris. Tantò in illis securior habitò, quantò ille est potentior ad salvandum. Eremit mundus: tremat corpus: diabolus insidiatur: non cado: fundatus enim sum supra firmam petram.*

Ambrosius.

Anima, quæ
in Christi
vulneribus
habitat, me-
ritò potest
divinam pos-
cere visionem:

Tertiò denique colligitur ex hoc loco citato meditationem Christi vulnerum prædestinationis signum: quia cum dixisset sponsus, *columba mea in foraminibus petra*, subditur, *ostende mihi faciem tuam*. Quæ esse verba sponsæ ad sponsum opinatur Nyssenus oratione 5. in Cant. & Plessus in hunc locum. Illa igitur anima, quæ habitat sicut columba in foraminibus petra, idest in Christi vulneribus, potest meritò poscere visionem divinam, & dicere *ostende mihi faciem tuam*. Quod videtur significasse Origenes in hunc locum; dum id quod vulgata *in foraminibus petra*, legens cum Septuaginta *in tegumento*, sive *in velamento petra*, Hic, inquit, *ostenditur anima iter sub velamine petra ad ea quæ non videntur, & æterna sunt.*

Zach. 12.

Quartus locus est Zach. 12. *Effundam super domum David, & super habitatores Hierusalem spiritum gratiæ, & precum: & aspicient ad me, quem confixerunt: plangent cum planctu, quasi super unigenitum.* Certum est hic sermonem esse de Christi Passione, cum de ea hunc locum citet Joan. 19. Pollicetur autem Deus effusurum se super Ecclesiam *spiritum gratiæ & precum*, ad aspiciendum Christum crucifixum, & plangendum. Impletum est hoc primo in iis Judæis, qui viderunt Christum crucifixum, & tandem compuncti planxerunt, teste Luc. 23. *Omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculũ istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.* Adeo proficua est contemplatio Passionis, ut eis etiam profecerit qui Christum patientem contemplati sunt ut hostes. Si efficax fuit ad salutem eorum, qui spectavere crucifigentes: quantò magis eorum qui compatientes? Quod observat Salmeron tomo 10. tract. 48. in fine. Impletum est quoque hoc oraculum in milite, qui *lancea latus eius aperuit*. Quippe hic, ut testatur Nazianz. in carmine, quod inscribitur *Christus patiens, cæcus erat sed Christi sanguine, & aqua oculo aspersis, visum recepit externum & internum; ut Christum aspiceret & plangeret.* Certum est hoc etiam quotidie impleri in iis qui per memoriam Passionis aspiciunt in Crucifixum, tanquam in eum

Luc. 23.

quem suis peccatis crucifixerunt, & plangunt; cum expressè hîc dicatur, *Effundam super domum David spiritum gratia & precum; & aspicient, & plangent, &c.* Quod specialius videtur verificari in oratione 40. horarum, quæ fieri solet diebus Veneris in memoriam Passionis. Spiritus orandi, & meditandi Passionem, aspiciendi Christi vulnera, & plangendi, hîc à Deo promittitur specialiter prædestinatis, dum dicitur, *Effundam super domum David: dixerat enim paulò antè, Domus David quasi Dei, sicut Angelus Domini, &c.* Quid per hanc domum, seu familiam David, quæ est quasi Dei, siue, ut Pagninus & alii, quasi Deus, & sicut Angelus Domini, nisi familia prædestinatorum; Si igitur super hanc promittit Deus se effusurum spiritum gratia & precum, ut Christi vulnera aspiciant & plangent; manifestè sequitur talem Passionis memoriam affectuosam & compassivam specialissimum continere prædestinationis indicium. Quod advertens Bonaventura de vita Christi cap. 74. *Passionis*, inquit, *Bonavent.* *mysteria si toto fuerint perspecta intuitu mentis, in novum, ut puto, statum adducere meditantes. Nam profundo corde, & totis viscerum medullis eam perscrutanti multi adsunt passus insperati: ex quibus novam compassionem, novum amorem, novas consolationes suscipiet, quæ sibi presagium, ac participatio gloria viderentur. Quid est presagium gloria, nisi prædestinationis pignus ac signum? Hæc occasione Scripturarum.*

Secundò idem probatur ratione. Prima ratio ducitur à priori sic. Omne id quod magis conjungit prædestinationis principio, maius prædestinationis est signum. Sed grata memoria Passionis maximè conjungit prædestinationis principio. Ergo maximum prædestinationis est signum. Major patet, quia quòd aliquid magis conjungit agens subordinatum, & inferius suo principio superiori moventi illud ad finem, maius habet signum perventionis ad finem. Minor probatur, quia totum prædestinationis nostræ principium est Christus per sua opera meritoria, & maximè per acceptionem passionis & crucis, cui alligata fuit salus prædestinatorum, ut Theologi colligunt ex Paulo ad Phil. 2. *factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen.* &c. nempe nomen Salvatoris, utique per crucem operando salutem, & merendo per eam electis prædestinationis chirographum. Ideo dicitur *delenisse quod adversus nos erat chirographum* (damnationis) *affigens illud cruci,* 2. Coloss. 14. Ergo, si tota prædestinatio alligata est meritis Christi per Passionem & crucem, utique horum cogitatio affectuosa conjungit hominem, & quoad intellectum, & quoad voluntatem, ipsimet totius prædestinationis principio: atque adeo potissimum prædestinationis est signum.

Confirmatur primò, quia Passio Christi non solum est causa me-

CCVII.

Memoria
passionis cõ-
jungit nos
cum præde-
stinationis
principio.
Philip. 2.

2. Col. 14.

ritoria prædestinationis in ordine intentionis, sed etiam in ordine executionis, quoad omnia & singula prædestinationis media. Ergo qui intentionaliter conjungitur Passioni Christi, conjungitur principio continenti omnia simul prædestinationis media. Ergo maximè disponitur ad eadem recipiendâ, cum omne passum disponatur magis ad recipiendam actionem agentis per majorem propinquitatem ad agens. Quod innuitur Isaia 12. *haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Quæ verba de aquis gratiæ, quas haurimus à fontibus Christi vulnerum, intelligunt Ambrosius in Psal. 4. & Bernardus sermone 1. de nat. ubi, *sicut*, inquit, *in Paradiso terrestri fuerunt*

Isaia 12.

Bernard.

Quatuor fontes in Paradiso, & quatuor in Christo nostro paradiso vulnera.

quatuor fontes, qui universam irrigarent terram; ita in Christo, qui noster est Paradisus, quatuor est reperire. Et infra: Propter hos quatuor fontes, quatuor in locis vulneratus est Christus adhuc vivens in Cruce. Qui igitur per meditationem frequentatam accedit ad Christi vulnera, habet in hoc prædestinationis suæ signum: quia non in ritualis, sed haurit salutem ex ipsis fontibus Salvatoris: & unumquodque Christi vulnus fit in eo fons aque salientis in vitam æternam. Ioan. 4.

Confirmatur secundò, quia memoria Christi vulnerum habet vim maximè excitandi spem salutis: *spes autem non confundit.* ad Rom 5. Quod autem crucifixi ipsemet aspectus ad spem excitet & fiduciam, explicat egregiè Augustinus libro de Virg. ubi, *inspice*, inquit, *vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis. Caput habet inclinatum ad osculandum, brachia extensa ad amplexandum, totum corpus expositum ad redimendum. Hæc quanta sunt cogitate: hæc in statera vestri cordis attendite: ut totus nobis figatur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in cruce.* Porro nostræ prædestinationis spes maxima per Christi vulnera innuitur Cant 2. *hyems transit, imber abiit & recessit: flores apparuerunt in terra nostra.* Quippe hi flores, spes veris, & hyemis depulsæ indices, vulnera sunt Christi. Flores, ut ait Bernardus sermone 33. in Cant. *rubentes, & ardentes: rubentes sanguine Passionis, & ardentes igne charitatis. In Passione rubescunt, ardescunt in charitate.* Habetur igitur ex iis & spes & charitas, quæ maxima sunt prædestinationis tum media, tum signa.

Augustin.
Crucifixi aspectus ad spem excitat, & fiduciam.

Bernard.

Christi vulnera Physicè in nobis gratiam causant.

Confirmatur terriò, quia Christi vulnera non solum concurrunt ad hoc, objectivè movendo ad spem & charitatem, sed etiam physicè, & effectivè producendo omnes & singulos gradus gratiæ, qui dantur fidelibus tum in Sacramentis, tum extra. Neque solum gratiam sanctificantem, sed etiam excitantem, & concomitantem: ita ut omnes illuminationes intellectus, & omnes excitationes affectuum erga bonum supernaturale physicè causentur ab his vulneribus, ut probavimus tomo 1. lib. 6. qu. 19. num. 5. Quod confirmari potest ex revelatione quadam sanctæ Franciscæ Romanæ, cui ostendit Christus vulnera

vera immenso lumine radiantia, quod diffundebatur ad homines. Quorum alij vnus tantum fulgore vulneris, alij duorum, alij trium, aut quatuor; paucissimi omnium quinque radiis illustrabantur. Ergo, qui per meditationem & effectum magis accedit ad Christi vulnera, redditur magis particeps talis luminis; cum modus connaturalis sit cuilibet agenti fortius agere in id quod est propinquius: ac proinde in hoc accessu ad Christi vulnera habetur prædestinationis medium & signum; nempe lumen supernaturale, quo ad prædestinationis finem perducamur. Ideo Bonauentura fascic. 6. de mysteriis *Bonavent.* vitæ Christi, *Passio*, inquit, *Christi non solum inflamat desiderium ad deuotionem; quinimmo præcipue illustrat intellectum, & ducit ad veritatis agnitionem.*

Confirmatur quartò, quia ipsummet lumen gloriæ, quod produci-
tur in beatis, causatur physicè à Christi vulneribus, ut probatum est
etiam tomo priore loco citato. Et constat præcipue ex Apoc. 21. vbi *Apoc. a. 21.*
dicitur *civitas non eget Sole, &c. & lucerna eius est Agnus Quem*
idem Ioannes Apocal. 5. vidit *stantem tanquam occisum*, nempe ex
insignibus vulnerum. Lumen autem gloriæ ab Agno emicans, dicitur
simile *lapidi jaspidis*; quæ gemma sanguineo fulget colore, vt
ibidem notauimus ex Magno Alberto. Quod confirmatur etiam ex
revelatione sanctæ Franciscæ Romanæ, cui ostensum est ex Christi
vulneribus primò lumen promicans ad beatam Virginem, & omnes
Sanctos cæli: tum lumen diffusum ad homines in terra degentes:
nempe his gratiæ, iis lumen gloriæ, vtrumque emanans è Christi
vulneribus. Ergo anima per meditationem habitans in Christi vul-
neribus, habitat in eo Paradiso, vnde immensus radiat fulgor gloriæ.
Ergo jam habet hîc pignus prædestinationis & gloriæ. Ideo cum *CCVIII.*
Christus exhiberet in monte Thabor discipulis quoddam specimen *Anima in*
æternæ gloriæ, & vt ait Chrysostomus hom. 57. in Matth. *ostenderet*
quidnam sit illa gloria, cum qua venturus est, quantum capere possu-
mus in hac vita: dicuntur apparuisse cum eo Moyses & Elias, qui
loquebantur de excessu, quem completurus erat in Hierusalem Quia
non datur specimen & pignus gloriæ, sine memoria Passionis. Quip-
pe, vt notat sanctus Leo, *certa, & secura est expectio promissæ bea-*
titudinis, ubi est participatio Dominicæ Passionis. Neque immeritò *S. Leo.*
Petrus dixit, *Bonum est nos hîc esse, faciamus hîc tria tabernacula, &c.*
quia sancti viri in memoria Passionis non solum pignus Paradisi, sed
ipsum etiam sibi constituunt Paradisum. Ideo sanctus Bonauentura *Bonavent.*
in stimulo divini amoris cap. 1. *Bonum, inquit, nos hîc esse: faciamus*
hîc tria tabernacula, unum in pedibus, unum in manibus, aliud in
latere: & hîc erit requies mea in sempiternum: & hac erit dulcissima
portio in vitam æternam.

Secunda ratio ducitur à posteriori, ex effectibus quos causat fre-

quens Passionis Christi meditatio: quot enim causat media ad salutem, totidem præbet signa salutis; cum eadem sint media & signa, ut sæpius notatum est. Media autem ad salutem ferè omnia ex hac meditatione causantur, juxta id quod dicitur 1. Petri 4. *Christo igitur in carne passo, & vos eadem cogitatione armamini.*

1. Pet. 4.

Bernardus.
Christi vul-
nerum effe-
ctus recen-
sentur.
Bonavent.
Hugo.

Patet id primò ex dictis Sanctorum. Bernardus sermone 62. in Cant. *Quid tam est efficax ad curanda conscientia vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm Christi vulnerum sedula meditatio?* Bonaventura coll. 7. *Qui se intentè & devotè in sanctissima vita & Passione Domini exercet, omnia utilia & necessaria sibi abundanter ibi inveniet: nec opus est ut extra Iesum aliquid querat.* Hugo in 1. Petri cap. 4. *memoria, inquit, Passionis Christi, vel cogitatio, est maxima fortitudo & arma potentia contra diabolum: qua multum ipse abhorret, quia ibi victus est.* Elegantissimè omnium hoc argumen-

s. Ephrem.
Crucis enco-
mia.

tum prosequitur sanctus Ephrem. sermone de sancta Cruce: *Cruce, inquit, spes Christianorum, crux resurrectio mortuorum, crux claudorum baculus, crux pauperum consolatio, crux triumphus adversus demones, crux juvenum pedagogus, crux inopum abundantia, desperatorum spes, navigantium gubernatio, crux fluctuantium portus, oppugnantium refugium, crux pupillorum atque orphanorum pater, justorum consiliarius, crux afflictorum consolatio, crux infantium custos, virorum caput, senum corona, crux lumen eorum qui in tenebris sedent, crux Ecclesie firmamentum, atque orbis terrarum securitas, crux imbecillium fortitudo, agrotorum medicina, crux ebur esurientium, fons sitientium, fiducia monachorum.* Hæc omnia ut effectus enumerantur Crucis Dominicæ, per meditationem nobis propositæ: & sic conferentis animæ solatium, robur, securitatem, fiduciam, & alia omnia recensita. Idcirco Bernardus in sermone honestæ vitæ: *Sit, inquit, tibi Iesus semper in corde, & nunquam imago crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi sit cibus & potus, dulcedo & consolatio tua: mel tuum, desiderium tuum, meditatio tua, oratio & contemplatio tua, & vita & mors, & resurrectio tua.*

Bernardus.

Exempla ali-
quot eorum,
qui medita-
tione passio-
nis ad perfe-
ctionem
sunt evecti.
Augustinus.

Patet idem secundò non solum è dictis, sed etiam ab exemplis Sanctorum. Supervacaneum est hîc indicem eorum texere, qui quotidiana Christi Passionis meditatione ad sanctitatis culmen devenere: pœnè quot Sanctorum vitæ leguntur, tot hujus veritatis sunt testes. Proferam hîc tantùm aliquos, qui id de seipfis testati sunt. Augustinus in Manuali cap. 22. *Cum me, inquit, pulsaverit aliqua turpis cogitatio, recurro ad Christi vulnera: cum me premit caro mea, recordatione Christi vulnerum resurgo: cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordie Dei, & recedit à me. Si ardor libidinis movet membra mea, recordatione vulnerum Domini nostri Iesu Christi si extinguitur. In omnibus adversis non inveni tam efficax remedium,*

quàm vulnera Christi. In illis dormio securus, requiesco intrepidus: nihil tam ad mortem amarum, quod Christi morte non sanetur. Hæc de se testatur Augustinus, cum in suis angustiis confugiebat ad Christi vulnera: idem tamen, loco supra citato, dicit nihil esse tam salutiferum, quàm de iis quotidie cogitare: quia scilicet electorum est proprium quinque Christi vulnera pia aliqua precatiuncula venerari, & præcipua Passionis mysteria recensere. Addunt aliqui breuem aliquam totius Christi vitæ memoriam. Quod Bernardus serm. feriæ quartæ pœnosæ de se testatur his verbis: *Memor ero, quamdiu fuero, laborum illorum quos pertuli in prædicando, fatigationum in operando, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo. Recordabor etiam dolorum ejus omnium, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clauorum, horumque similibus: quæ per eum, & super eum abundantius transierunt.* Alij sancti viri domicilium sibi statuunt in aliquo ex Christi vulneribus: pœnitentes in pedibus, alij in alijs, juxta devotionem vniuscuiusque, secuti exemplum Bonaventuræ, qui in stim. cap. 1. *in latere, inquit, Christi volo quiescere & vigilare, bibere, comedere, legere, adorare, & omnia mea negotia pertractare: ibi loquar ad cor ejus: & ab ipso, quod voluero, impetrabo.*

Bernardus.

In Christi
vulneribus
domicilium
statuunt ali-
qui Sancti.
Bonavent.

Patet idem denique tertio ex variis revelationibus, quibus Deus sanctis viris declaravit quanti faciat in suis electis memoriam Passionis. Beatæ Gertrudæ reuelatum fuisse à Domino refert Blosius c. 2. mon. spir. quoties aliquis deuotè aspicit crucifixum, toties amanter respici à benignissima misericordia Dei. Quidam Religiosus scire cupiens quodnam obsequium Deo esset gratissimum; à Christo crucem bajulante audivit, non aliud esse quàm ferre simul cum eo crucem in corde, per crebram recordationem & compassionem: in ore, per deuotam gratiarum actionem: in auribus, per pœnarum Christi auditionem: in dorso, per carnis assiduam macerationem: Ita refertur in speculo humanæ salutis cap. 43. De quodam sancto Monacho Daniele narrat Cæsarius libro 8. cap. 10. impetrasse eum à Christo donum lacrymarum in recordatione Dominicæ Passionis: ita vt de ea nec loqui, nec cogitare posset sine lacrymis. Idem legitur de Sancta Brigitta, cui, cum adhuc esset junior, apparuit Christus cruci affixus, ita recenti profusus sanguine, vt tunc è Calvariæ monte descendisse videretur. Ex quo tempore exerceri cœpit in meditatione Passionis; de qua numquam cogitare potuit sine lacrymis. Ita, habetur ex actibus Canonizationis sub Bonifacio IX. Sancto Francisco Ascisinati sacris Christi stigmatibus insignito, vt refert sanctus Bonaventura in ejus vita c. 1. memoria Passionis Christi, visceribus cordis ipsius adeo est impressa medullitus, vt cum Christi crucifixi memoria veniret in mentem, vix posset à lacrymis & gemitibus exterius

CCIX.

contineri. De eodem etiam refertur libro 1. Chron. cap. 86. interrogatum aliquando, cur ploraret? respondisse, ita deberem vagari per totum mundum sine verecundia plangendo Passionem Domini mei.

Exhibendum est aliquid memoriæ passionis Christi.

Meditatio passionis plus valet, quam alia externa opera.

Bonavent.

Ezech. 9.

Matth. 24.
Electi, qui cruce hic sunt signati, sub cruce ultima die recipientur.
Athanas.

Denique universali experientia constat, Sanctos viros, in quibus aliqua nota prædestinationis apparet, erga Christi passionem esse mirificè affectos, tum Christi doloribus compatiendo, tum in eorum honorem aliquid exhibendo: jejunium quartæ feriæ, in qua à Iuda Christus est traditus; & sextæ feriæ, in qua mortuus. Sanctus Nicolaus Myrensis nutricis uberibus abstinuit quarta, & sexta feria: quem morem servavit usque ad extremum spiritum. Quod multi postea sunt imitati. Alii sexta feria se flagellant ad honorem flagellorum Christi: alii abstinent, quoad fieri potest, à bibendo, ad honorem sitis Christi: alii singulis diebus orant aliquandiu expansis manibus, atque in crucis signum efformatis, ut aliquo modo iuxta monitum 1. Petri 4. *communicent Christi passionibus*. Alii quotidie curant elicere ex compassionis effectu, aut ex peccatorum dolore, saltem lachrymulam: qua Crucifixi lavent vulnera, reddentes Christo lachrymarum guttas pro unda sanguinis. Quo pietatis exercitio quædam pia femina ad magnum culmen sanctitatis pervenit. Quippe à Deo plus æstimatur affectus ille compassionis, quam alia externa opera. Ideo Albertus Magnus in tractatu missæ: *Simplex*, inquit, *recordatio vel meditatio Passionis Christi plus valet, quam si quis per annum jejunaret in pane, & aqua, qualibet sexta feria: vel disciplinaret se qualibet hebdomada per annum, usque ad effusionem sanguinis; vel quotidie legeret unum psalterium*. In his fit tantum comparatio inter opera externa præcisè accepta, & affectum compassionis internum in meditatione passionis. Quamobrem Bonav. si vis, inquit, homo, *de virtute in virtutem, de gratia in gratiam, de bono in melius proficere, quotidie quanta potes devotione mediteris Domini passionem*.

Hoc igitur cum maximum sit prædestinationis medium, ut experientia monstrat, magnum etiam ejusdem est signum. Denique electi omnes dicuntur Ezech. 9. *signati Tau super frontes*: quo crucem significari ostensum est supra. Quia signum prædestinationis est, crucis, & passionis imaginem interiùs, & exteriùs circumferre. Quod si in die judicii *parebit signum filii hominis*, Matth. 24. & electi omnes sub hoc vexillo: signum habent quod recipiendi tunc sint sub vexillo crucis, qui hic piè affecti sunt erga crucem. Quod si Christi condemnatio, & passio tunc non fuit sine liberatione Barabbæ: quantum magis fidelibus liberationis, & prædestinationis est signum? Quod animadvertens Athanasius or. in Parasce. *O rem*, inquit, *miram! subitæ mortis sententiam Christus, & statim Barabbas absolvitur. In ipso protinus condemnationis initio crux liberationem largitur*. Hæc de prædestinationis signo in passionis memoria.

Ex his collige, per modū corollarij, speciale reprobationis signum in eisdem oblivione. Tum quia contrariorum eadem est disciplina, ut sapius notatum est. Tum quia maximæ ingratitude est nota, beneficium omnium maximum oblivisci. Passio autem, & mors Christi beneficium est inter omnia maximum: sive expendas sanguinem, & vitam Christi, quæ sunt infiniti valoris, & infinitè excedentis dona omnia gratiæ, & gloriæ: sive animadvertas quàm illi pœnosum fuerit: cum cætera omnia beneficia aut sine pœna fuerint, ut creatio, conservatio, & similia; aut cum minori pœna, ut incarnatio, circumcisio, prædicatio: quibus omnibus longè Christo pœnosior fuit Passio & mors. Quod si, ut ait Chrysostomus hom. 9. in Genes. beneficia Dei omnibus horis consideranda sunt, quânto magis beneficium omnium maximum: Qui enim beneficij obliviscitur, non potest gratiam referre: ac proinde dum deficit ex parte nostra gratiarum actio, signum est quod cessatura sit ex parte Dei gratiarum largitio: ut enim notat Bernardus sermone 1. in cap. jejun. gratiarum cessat discursus, ubi recursus non fuerit: nec modo nil augetur in accipiente, sed etiam quod accipit, ei vertitur in perniciem. Unde fit ut ipsa Christi Passio, ex se maximum bonum, tali oblivioso & ingrato vertatur in malum: quod est potissimum reprobationis indicium; cum contrà electis ipsamet mala cooperentur in bonum.

Oblivio passiois Christi, reprobationis indicium,

Chrysostom.

Bernard. Cessante gratiarum actione, beneficium vertitur in perniciem.

Postremò, omnis qui elongat se ab eo prædestinationis principio, in quo tanquam in fonte continentur omnia prædestinationis media, habet maximum reprobationis signum. Sed qui Passionis Dominicæ obliviscitur, elongat se per intellectum & voluntatem ab huiusmodi prædestinationis principio: per intellectum, de ea non cogitando; per voluntatem, non compatiendo. Ergo maximum habet reprobationis signum.

Confirmatur ex Psal. 30. ubi Christus id conqueritur iis verbis, oblivioni datus sum tanquam mortuus à corde. Perinde ac si diceret, Ego qui mortuus semel sum corpore oblivioni datus, mortuus sum etiam hominum cordibus. Observa autem hîc Christum dicere se oblivioni traditum ab iis qui eum videbant: *Qui videbant me, foras fugerunt à me: oblivioni datus sum, &c.* quia scilicet de eorum potissimum ingratitude queritur, qui eius Passionem aliquando considerant, & quodammodo per intellectū videntur, nullo tamen cordis affectu. Quod advertens Hugo Cardinalis, mirum, inquit, videtur quod dicit oblivioni datum esse ab iis qui vident eum: sed signanter dicit, quia videntes oculo intellectus, non vident oculo affectus. Ideo Zach. 12. de prædestinatis dicitur, *aspicient ad eum quem confixerunt, & plangent.* Quamobrem sive Passionis oblivio, sive aliqualis memoria sine affectu compassionis, reprobationis est signum. Ideo Psal. 22. qui totus est de Passione Christi, ut ostensum est supra, cum di-

Psal. 30. Passio Christi affectus oculis, & nō intellectus tantum, est aspicienda.

Hugo Card.

Zach. 12.

CCX.

xisset foderunt manus meas & pedes meos : dinumeraverunt omnia ossa mea ; cum hæc & cætera enumerasset, ad summam exaggerationem Iudaicæ crudelitatis subdit, *ipsi verò consideraverunt & inspexerunt me*, ac si diceret, crudeles quidem fuisse Iudæos, dum foderunt eius manus & pedes, fundendo eius sanguinem; sed crudeliores dum consideraverunt, & inspiciendo negarunt ei lachrymas : Quia, ut notat hic Hugo Cardinalis, *multi Christum considerant oculo intellectus, pauci oculo affectus*. Nimirum hæc ingrátitudo prævisa majori Christum dolore affecit, quàm ipsamet clavorum, quibus confixus est, vulnera. Ideo Bernardus ex persona Christi : *O homo, inquit, vide pœnas quibus affictor : vide clavos, quibus confodior : cum sit dolor tantus exterior, interius est planctus gravior, cum te tam ingrátum experior*.

Bernard.

E quibus concluditur signum esse reprobationis non vulgare ex oblivione Dominicæ Passionis, de ea vel nihil cogitando, vel raro, sive duritia quadam cordis Christi doloribus non compatiendo: Sicut enim, teste Bonaventura in stimulo divini amoris p. 1. *Passio suum meditatorem alienat, & non solum reddit Angelicum, sed divinum*; quod est præbere signum prædestinationis perspicuum : ita eiusdem vel oblivio, vel inaffectuosa memoria, quæ oblivioni æquivaleret, hominem transfert non solum ad statum belluarum, sed etiam diabolicum : quod est præbere signum reprobationis. Potestque merito dici de Christo cruci affixo illud Pl. 71. *qui elongant se à te, peribunt*. Quippe in solis Christi vulneribus ostium est vitæ. Ideo ab Evangelista dicitur, *unus militum lanceâ latus eius aperuit*, Ioan. 19. Nempe non dixit, ut Augustinus tract. 102. in Ioan. *vulneravit, sed aperuit : ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur*. De hac porta dicitur Pl. 117. *Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam*. Nempe prædestinati & electi : ii verò qui incogitantia, & oblivione, se ab hac porta elongant, vti que excluduntur ab ea, adnumerati inter reprobos.

Christi latus
electorum
ostium ad
vitam.

CAPUT XVII.

*Decimum prædestinationis signum, Frequens & devotus
usus Eucharistiæ.*

Dico decimosseptimò prædestinationis signum est frequens & devotus usus Eucharistiæ.

Genes. 49.
Glossa.

Probatum primò è Scripturis. Primus locus est Genes. 49. *Aser pinguis panis eius: & præbebit delicias Regibus*. In quem locum Glossa per *Aser*, inquit, qui interpretatur *Beatus*, potest significari *Christus*;